



**Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis  
Ecclesiæ**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiæ, 1688**

Joannes Hugo Dei Gratiâ Archiepiscopus Trevirensis. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](#)



# JOANNES HUGO Dei Gratiâ ARCHIEPISCOPUS TREVIRENSIS.

Sacri Romani Imperii per Galliam & Regnum  
Arelatense Archi-Cancellarius.

PRINCEPS ELECTOR  
EPISCOPUS SPIRENSIS,  
Administrator Prumiensis & Præpositus  
Weissenburgensis &c.

*Honorabilibus, devotis, nobis dilectis, Eccle-  
siarum Rectoribus, Vicariis, & Sacellaniis  
curatis in diœcesi nostra Trevirensi salutem  
in Domino.*

**B**Astoralis curæ nostræ studia libenter im-  
pendimus ad ea, per quæ Dei gloria, animarum Nobis  
concreditarum salus, decor Ecclesiæ, & publicorum mi-  
nisteriorum Ecclesiasticorum uniformitas promovetur.  
Cùm itaque in Concilio Toletano sit constitutum, ut quando presby-  
teri in parochiis ordinantur, librum Officialem seu Agendorum, qui  
officiorum pastoralium ritum præscribit, ab Episcopo accipient, ut ad  
Eccle-

## P R A E F A T I O.

\*<sup>Tolet. 4</sup> Ecclesiæ sibi deputatas instructi accedant, :\* & ejusmodi Agendorum  
<sup>cap. 25.</sup> pastoralium librum aliâs mem. pro illustris Jacobus in Archi-Episcopatu Tre-  
<sup>Dist. 38.</sup> virensi prædecessor noster, anno 1574. typis quidem excudi, Ecclesiæ  
<sup>cap. 1.</sup> quando rum Rectoribus communicari, ac pro ministeriorum Ecclesiastico-  
presbyteriæ uniformitate, quo scunque alios Agendorum libros abrogari cu-  
raverit; attamen exemplaribus illis ob temporis diuturnitatem usu  
continuò attritis nec ultrà existentibus, ejusmodi librum renovari, e-  
jusdemque communicatione Rectoribus Ecclesiæ provideri, ne-  
cessitas ex postulet. Idcirkò viris prudentiâ, doctrinâ Theologicâ præ-  
stantibus, animarum etiam curâ exercitatis, adhibitis diversarum alia-  
rum Dioecesum, libris Agendorum, cum primis autem Rituali Ro-  
mano, diligenter perlustratis, hunc Agendorum pastoralium librum,  
habitâ etiam ad novissimas Apostolicas, hujusque Trevirensis Dioce-  
sis Archi-Episcopales constitutiones reflexione, pluribus perquam  
utilibus ac necessariis insertis fieri decrevimus, signanter præter illa,  
quæ aliâs in duabus partibus & compacturis continebantur, pro con-  
firmandis instructionem, bullam coenæ Domini ex decreto summi  
Pontificis Confessariis necessariam, casuum nostræ ordinariæ jurisdi-  
ctioni reservatorum, nunc in minorem numerum juxta monitum  
Sac. Congregat. Cardinalium reductionem, formulas pro actibus fi-  
dei, spei, & charitatis eliciendis germanico & gallico idiomate in sub-  
sidium infirmorum, exhortationem ad matrimonialiter conjungen-  
dos, ordinem sepeliendi parvulos, instructionem de qualitatibus ordi-  
nandorum, ex novissimo nostro edicto, formulas plurium benedictionum  
à parocho præstandarum, methodum variarum processionum  
publicarum cum psalmis & precibus cuique convenientibus, ac pre-  
cum publicarum pro necessitatibus occurrentibus instituendarum, re-  
sponsoria in illis processionibus canenda, sicut & in sepulturis ac Offi-  
cio Defunctorum cum notis cantus choralis, modum intonandi psal-  
mos, instructionem de prædicando Dei verbo, ut potè vel maximè ne-  
cessariam, similiter de jejuniis, de festis, de vita, conversatione & fami-  
lia Pastorum instituenda, de officio Decani Ruralis, & nonnullorum  
aliorum Ecclesiæ ministrorum, etiam ad jam dicta noviter inserta, hinc  
inde junctis Sac. Congregat. Cardinalium S. R. Ecclesiæ declarationi-  
bus, aliaque plura addi curavimus, ut Pastor in executione functionum suarum, directione sui, ac gregis commissi, nunc plenè provisum  
esse arbitremur; quæ omnia etiam tali ordine disponi fecimus, ut  
quam-

## P R A E F A T I O.

quamvis character non sit minor, numerus tamen foliorum non sit major, ac unico comprehensus libro, errorem ante nonnunquam in assumendo anteriorem libri partem, quando posterior ad ministerium erat necessaria, commissum præcavendo. Quod si nihilominus non nemini, cuius parochiani in diversis pagis aut villis sunt dispersi, pro ministeriis circa infirmos, asportatio libri hujus difficilior videretur, ille passum concernentem ejusmodi ministerium, sicut & Ludimagi-  
stri & Chorales, qui in sepulturis aut aliis functionibus canendo subsidiū parocho præstant, responsoria cum notis cantūs choralis exinde sibi in foliis minoris libelli poterunt curare describi. Sicut autem per hunc, multo studio industriā & labore plenum, Agendorum pastoralium librum, Nos majorem ministeriorum sacrorum decorem, concipiendamque exinde populi devotionem, nec non officii divini & administrationis Sacramentorum, processionum, precum, ac quarumcunque functionum Ecclesiasticarum publicarum uniformitatem, quae etiam homines à vera religione aversos ædificat, & non secùs ac ordinata officia & gravitas ministrorum Aulæ Salomonis, regi-  
3. Reg. 10  
nam Sabæ in admirationem & venerationem inducit, intendimus; ita volumus ac vobis seriò præcipimus, ut eò pariter sedulò collimatis, fideles mysteriorum Dei ministros vos exhibeatis, memores  
1. Cor. 4.  
semper universalis Ecclesiæ per Sac. Trident. Concil. promulgati documenti: si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solenni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quarumcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit. Et si Ægyptii in horologii similitudine Sacerdotis actiones, & per hoc sapienter expresserunt, quòd Sacerdos omnia sua ordinate agendo alios ad ordinem deducat & dirigat, profectò id in vestris Sacramentorum administrationibus ac aliis functionibus publicis, verissimum esse nemo sapiens negabit; vos enim in omnibus illis vobis commissis functionibus, vitâ & conversatione vestra instar horologii, directores, duces & magistros esse oportet, ut de vestra in rebus agendis gravitate, modestiâ ac devotione populus lumen sanctitatis hauriat, quod supremus ille magister noster sacrorum eloquio: Vos estis lux mundi, dilucidè expressit.  
Mattib. 5.

**I**mplete igitur, dilecti! intentionem, finem ac gaudium nostrum, administrate juxta hunc librum functiones vestras, ut decet Dei mi-

## P R A E F A T I O.

nistros, ad gloriam ejus, qui erit nostra remuneratio magna nimis,  
ad animarum pretioso sanguine Christi redemptarum salutem, Ec-  
clesiae Catholicae decorem, & dioecesis nostrae uniformitatem. Sive-  
rò huic nostro monito ac decreto quispiam contravenire præsume-  
ret, eum Decanus Ruralis, aut Synodales Ordinariatu nostro de-  
nuntiabunt, ut contumaciæ suæ, ac difformitatis ministerii pœ-  
nam promeritam recipiat. Dabantur in arce Nostra Ehrenbreit-  
steiniana die. 26. Martii Anno Domini M.DC.LXXXVIII.

Joannes Hugo Archiep. Trevirens.



I N D E X